

Per quam juxta Chemnitium *non retinetur, sed abjicitur* propositum perseverandi & pergendi in sceleribus. Hoc tamen bonum propositum, quando nondum accessit fides, perinde ut ipsa contritio, non est spiritualiter & ex omni parte ita bonum, ut DEum homini conciliet & amicum reddat, Rom. XIV. 23. Bona tamen & contritio & bonum istud propositum est, in quantum est legi conforme & quâ ex DEI intentione via est ad verum bonum, juxta thesin primam.

---

Disp. XXX.

De

## Justificatione.

I.

**D**istinctio Pontificiorum inter justificationem primam & secundam falsæ tantum doctrinæ palliandæ est inventa.

II. Illa quoque justificatio secunda Burmanniana, quâ DEus nos, jam per fidem justificados & aliquam præterea inhærentem justitiam habentes, etiam pro talibus justis agnoscat, ut sicut prima justificatio opponitur accusationi hominis coram throno Divino de peccati sui reatu: ita secunda occurrat accusationi hypocriseos & cordis non regeni, nullo nititur Scripturæ fundamento.

III. Justificationis vox, Apoc. XXII. II. non significat augmentum justitiæ inhærentis, ut evidenter vox: *is* convincit.

IV. Bona Opera non possunt citra offensionem medium vocari sine adposito salutis consequendæ.

V. Fidei vita primariò & respectu justificationis unicè in apprehensione meriti Christi consistit. Gal. II. 20. quæ est actuosa totius cordis & voluntatis in Christo recumbentia. Königius.

VI. Secundariò & respectu sanctificationis in virtute progenerandi opera. Gal. V. 6. Unde deficientibus operibus mortua est fides. Jac. II. 17.

VII. Quamquam Christum, non quidem absolutè & pro-